



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

89. An licitum sit celebrare Missam in Altari, in quo Episcopus celebravit
ea die, absque eius licentia? Et an Canon, & præceptum circa hoc sit in
vsu, vel contraria consuetudine sit abrogatum, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

RESOL. LXXXIX.

An licitum sit celebrare Missam in Altari, in quo Episcopus celebravit ea die absque eius licentia? Et an Canon, & præceptum circa hoc sit in usu, vel contraria consuetudine sit abrogatum, & ideo non obliget? Ex part. 10. tr. 12. & Misc. 2. Ref. 24.

§. 1. Negativè respondet Paz Iordanus, Episcopus Tragurientis in suis Elucubration. tom. 2. lib. 4. tit. 1. n. 149. ubi sic ait: In locis, in quibus alias permittitur celebratio, illa censetur prohibita quotiescumque Episcopus ea die super ipso Altari celebraverit, cap. in Altare ult. de Consecr. dist. 2. quod & si loquatur de Missa cantata, atque ad eod. ex vi literæ de illa tantum intelligendum videatur vt nonnullis placuit: tamen ex Decreto Concil. Altiusid. cap. 10. ex glossa auctoritate in d. cap. ex consuetudine optima legum interprete; atque ex doctrina Ang. verb. Altare, §. fin. Tabien. ead. quasi. penult. Sylv. & Armill. ead. verb. Homob. de Bonis tractat. 4. q. 139. Gauant. thes. Sacr. vit. part. 1. tit. 20. tit. 1. F. werf. Illud. generaliter accipitur, etiam de Missa priuata, reuerentia namque debita Episcopo, propter quam id statutum fuisse admonet Gloss. in d. cap. fin. militat in vtroque casu: & quamvis Azor. part. 1. lib. 10. cap. 27. quasi. 10. testetur dictum Canonem alicubi consuetudine contraria derogatum; Gauantus tamen l. c. fatetur in Mediolanen. Prouincia, ea qua decet reuerentia custodiri; prout etiam in his partibus seruari, possum & ipse testari. Hucusque Iordanus.

2. Verum, non obstantibus; Scotia de Sacrific. Missæ, lib. 2. cap. 14. n. 6. Casterus Palauus tom. 4. tr. 22. punct. 9. n. 11. Layman lib. 5. tract. 5. c. 6. n. 10. testantur, præceptum hoc consuetudine ferè vbiq. esse abrogatum. Et nouissimè P. Dicaillus de Sacram. tract. 5. disp. 4. dub. 8. n. 150. docet, hoc præceptum non esse in usu, atque ad eod. non obligare. Vnde ego puto propter reuerentiam debitam Dominis Episcopis in casu contingenti, semper ab ipsis esse licentiam petendam: sed si non petatur, existimo sine vilo peccato posse celebrari, & non esse scrupulis locum dandum.

3. Nota, quod post hæc scripta inueni Francisc. de Nigro, in Addit. de celebr. Missæ. p. 6. Anmad. 8. q. 10. ex Bartholomæo de S. Faust. docere supradicti Can. in Altari, de Consecr. dist. 1. intelligendum esse de Missa Solemni, & Pontificali, non autem de Missa particulari; & de Altari, in quo Episcopus tanquam particularis Sacerdos celebrat, & probat ex verbis Textus, ibi: In quo Episcopus Missam cantauit. Et addit, quod hic Canon videtur desuetudine abrogatus; & forsitan olim locum habebat, cum Episcopus in propriis Ecclesiis, & in sua Diocesi pontificaliter Missam cantabat.

RESOL. XC.

An Sacerdos possit dicere Missam ante Matutini Officij celebrationem? Ex part. 2. tr. 14. Ref. 36.

§. 1. Peccare mortaliter, si Sacerdos hoc faceret, sentiunt non ignobiles Authores, quos inuenies in numero paulo minus quam 30. apud doctiss. Cenedum in suis Canoniciis questionibus q. 3. n. 7. quorum sententiam ipse mordicus tuetur, & probat tum ratione consuetudinis, tum ex rubricis Missalis editis ex auctoritatibus Romani Pontificis: vbi dicitur, quod Sacerdos celebraturus accedat ad sacrificiū Tom. II.

Missæ Matutino saltem absoluto. Et hanc opinionem tenet etiam ex neotericis Pitigianus in tom. 1. dist. 13. q. 2. art. 10. & Zanardus in direct. Theol. p. 1. de Euchar. cap. 9. q. 7.

2. At contrariam sententiam probabiliorē esse iudico & in praxi sine vilo scrupulo amplectendam, & præter Doctores 20. quos citat & sequitur Barbosa de potestate Episcop. p. alleg. 2. 4. n. 15. docet etiam hanc sententiam Layman lib. 4. tr. 5. c. 4. n. 5. Ioan. de la Cruz in direct. conf. p. 1. præcept. 3. art. 3. dub. 4. concl. 2. Raphaël de la Torre in 2. 2. tom. 1. controuers. 8. disp. 2. n. 6. & 7. Villalob. in sum. tom. 1. tr. 8. diffie. 30. n. 1. Ratio est quia, vt ait Syluius in 3. p. 9. 83. art. 2. ex sui institutione, matutinales preces, & sacrificium Missæ nullam habent connexionem, neque vllum ordinem, nam preces horariæ adiuuentur sunt, vt eis exhiberetur cultus diuinus, Deo supplendo pro populo. Mysterium verò Eucharistiæ à Christo institutum est, vt recoleretur memoria Passionis eius, in quo nulla connectio inuenitur, quare vnum ad aliud requiratur.

3. Ad argumenta in contrarium, responderetur ad primum, negando adesse talem consuetudinem obligantem ad peccatum mortale. Ad secundum responderetur, in Missali Romano nullum esse verbum præceptiuum, & ex modo quo illa regula ponitur, apparet ibi nihil nouum statui, sed solum declarari, & proponi quod fieri solet & expedit. Imò ibidem expressius admonentur Sacerdotes vt prius aliquantum vacent orationi.

RESOL. XCI.

An Sacerdos possit aliquando eodem die plures Missas celebrare.

Et pro praxi huius questionis septem casus in textu huius Resolutionis assignantur, sed aliqui eorum abierunt in desuetudinem. Ex p. 2. tr. 14. Ref. 56.

Sup. hac generalis interrogatio lege infra ex Ref. 146. §. Ad dubium. & aliq. §. eius annot.

§. 1. Vlti, vt Palud. D. Anton. Turrecr. Durand.

& alij apud Doctores, ubi infra, affirmatiuè respondent, & ex neotericis docet etiam hanc sententiam Valentia tom. 4. disp. 6. q. 11. punct. 3. ad 7. Henriquez lib. 9. cap. 30. art. 7. & Nauar. in man. c. 25. n. 93. & alij. Casus autem, in quibus id liceat, dummodo Sacerdos sit ieiunus, ad septem reducunt. Primus, in die Natiuitatis Domini nostri. Secundus, quando iam ferè dicta Missa, superuenit Pontifex, Episcopus, aut habens quasi Episcopalem iurisdictionem ordinarius Prælati, Rex, vel aliquis Princeps secularis, aut etiam si superueniant aliqui itinerantes in die præcepti festo. Tertius, si cum finit Missam, nuntiat eum, quod intrat defuncti corpus sepeliendum cum Missa. Quartus, si non est seruata Eucharistia, & nuntiat aliquem in articulo mortis esse, debet iterum celebrare, & dare ægroti viaticum. Quintus, ob benedictionem nuptiarum, quando aliqua necessitas, aut magna congruentia vrget. Sextus, ob rationabilem causam iudicatam à bono, & cordato viro, ob quam videatur necessarium, vel congruentissimum, vt Missa secundò dicatur, quod habetur cap. consilii. 1. de celebr. Missæ. Septimus porò, quando vnus Sacerdos præficatur duabus Ecclesiis Parochialibus, ob illarum paupertatem.

Pro primo casu contentio ad lin. 7. huius textus in Ref. seq. Et §. 2. not. præterita & pro secundo latè infra in Ref. 94. & in aliis earum annotationū pro istis casibus, & pro tertio, quarto, & septimo casu contentis etiam in hoc §. 1. in Refol. seq. & in aliis eius annot. pro istis casibus.

2. Sed ob multiplicatam Sacerdotum hi casus abierunt in desuetudinem, & solus primus & vltimus in his nostris regionibus obseruatur, vt bene obseruat Llamas part. 3. Meth. cap. 5. §. 17. in fine. Ioan. de la Cruz in direct. conf. p. 2. de sac. Missæ, q. 2. dub. 3. concl. 3. in fine. Syluius in 3. p. 9. 85. art. 2. ad 5. Scorzia de sacram. Missæ, lib. 2. c. 16. n. 2. Moltes. in sum. tom. 1. tract. 3. c. num. 46. Vgolin. de potest. Episcop. c. 16. n. 43.

E Valquez